



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

Lutherus non multum morabitur. quia iam pridem publicè hoc de se aſſeueravit: *Certus ſum dogmata mea me habere de cælo, &c.* etiam ſi ſcripturis apertè aduerſentur: quia Luthero data eſt *clauis abyſſi*, vt reſoluat omnia dubia conformiter abyſſo ſeu Orco.

Luth. lib. contra Regem Anglia.

Quæritur XX. Num Diaconus ſeu Capellanus ille, qui ſiniſtra manu infantem tenere nequit, ita baptizare poſſit, vt alius infantem teneat, ipſe vero dextra manu aquam affundat. Reſpondet Baptiſta noſter; *ſieri id poſſe; ſi Capellanus ille alioqui Eccleſiæ ſit gratus & acceptus, donoq; concionandi valeat. Secus; non eſſe illi permittendum, vt hoc modo baptizet.*

Antipharmacum.

EGREGIA profectò reſolutio. Quid ſi Eccleſiæ ingratus eſſet. Quid ſi laboraret chiragra? An ideo Baptiſmus non valebit, quia baptizans infantem non tenet manu? Quid ſi baptizaret adultum? An neceſſe eſt, vt hominem XXX. annorum v. g. manu geſtet, vt illum validè baptizet?

Quæritur XXI. Vtrum licitus & validus ſit baptiſmus, quando infans faſciis colligatus eſt, tantumque in capite ſeu vultu; nudo tamen, aquâ perfunditur ſeu aſpergitur. Negat Pomeranus, Lutheri optimus ſocius in Tractatu, *quod baptiſmus in ſcriptura vocetur lauacrum;* Quia Chriſtus non dicit: *Tröpflet ihnen mit Waſſer auff den Kopff / oder beſtreichet ſie mit Waſſer auff den Kopff. Stillate illis aquam ſuper caput, vel, aſpergite illos aqua in capite; dann das heiſſet nicht ein Waſſerbad / ſonder teuſſet reichlich mit Waſſer. Quia hoc non eſt lauacrum; ſed ait; baptizate copioſè & abundanter aqua; ego adero, & baptizabo copioſè ſpiritu ſancto.*

Exſtat Tom. 12. Germ. VVitteb.

Anti-